





P.g. 2. num. 42.
1768 47
12

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
CONIUNCTIONE
IVRISPRVDENTIAE,
ATQVE OECONOMICES,
POLITICES, ET SCIENTIAE
CAMERALIS IN SPECIE.

QVAM
IN ACADEMIA LIPSIENSI
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE,
PRO OBTINENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. VI. DECEMB. A. R. S. MDCCLXVIII.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

GEORGIVS CONRADVS STOCKHAVSEN

PHILOS. DOCT.

HASSVS.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DISSEPTATIO IN ANTIQVARIETATE
DE
CONIUNCTIONE
IVRIS PVRBICANAE
ATQVE OECOMOMIAE
POLITICAE ET SIBI
CIVITATIS IN PRINCIPALIBUS
SVMMS IN VITIS
D. GEORGII
GEORGII COMITIS STODENSIUM
PHILOLOGI
M. D. C. C. C. C. C.

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT
ZU HALLE



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
L V D O V I C O,
LANDGRAVIO HASSIAE
REGNANTI,

PRINCIPI HERSFELDIAE, COMITI IN
CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHEINA, NIDDA,
SCHAVMBVRGO, HANOVIA, ISENBVRGO,
B V D I N G A,
CETERA

PRINCIPI AC DOMINO
MEO LONGE CLEMENTISSIMO,

2 ERRENTISSIMO
PRINCIPALIS DOMINO
DOMINO
LUDOVICO
LANDGRAVIO HASSIAE
REGENTIS

PRINCIPALIS HEREDITARIAE COMITIS IN
CATTINELBERGO, ORBIS ELECTORALIS NIDDA
SCHWARZBURGO HANOVIAE ASSAURGO
L. V. S. I. B. A.
1711

PRINCIPALIS DOMINO
NEOLONGE CLEMENTISSIMO



SERENISSIME LANDGRAVIE

PRINCEPS AC DOMINE

LONGE CLEMENTISSIME,

Praesidio semper fuit et decori ciuibus
adnumerari reipublicae, idque maxi-
me ex loco et sorte nascendi aestimatum est.

TVA autem sceptrā SERENISSIME PRIN-
CEPS, qui una cum propinquis suis exoscu-

* 3

lantur,

lantur, id natiuitate consecuti esse videntur, vt sub
CLEMENTIAE TVAE umbra acquiescant, et
NVMINIS sibi fauentis indulgentiam summis extol-
lant laudibus. Lugent Serenissimum Patrem populus et
omnes boni, lugent Principem Pium felicem: nunc au-
tem in TE est spes senum iuuenumque, gloriantur it,
quibus licet PRINCIPALIS TVAE PROVI-
DENTIAE auspiciis frui. Dulce decus et prae-
sidium suis talis est PRINCEPS, qui robur suppe-
ditat, atque gradum monstrat, quo enitendum est iis,
qui digni suo PRINCIPE ciues censerī cupiunt.
Collustrantur enim tanti PRINCIPIS sapientia,
respublica et ordines eius omnes, atque nihil est, quod
effugiat curas et consilia, quibus publica gubernantur
negotia, et priuatorum officia describuntur. Quin
etiam

etiam conuenientibus coram folio TVO disciplinis, iustum cuiuslibet atque eo maius tribuitur pretium, quomaiorem illae publicis rationibus utilitatem afferunt, quae res quantum ad accendenda rectiora ciuium studia valeat, vix dici potest. Illi enim mittunt umbraticas doctrinas, et bonis potius artibus atque disciplinis utilioribus, operam suam omnem tribuunt. Quo magis ego ingenii mei tenuitatem in certis habeo, eo tamen firmitus mihi persuadeo, argumentum, quod hocce libello tractaui, ex illis depromptum esse disciplinis, quibus continentur salutis publicae consilia, atque praesidia. Huius rei etiam tanta mihi fuit fiducia, vt SERENISSIMO NOMINI TVO has primitias consecrare, et tanquam Hassiae ciuis, illas submississimae mentis documentum edere, non dubitauerim. Accipe,
SERE-

*SERENISSIME PRINCEPS, quod offero,
clementissime, id mihi indicium, et PRINCIPA-
LIS indulgentiae singulare pignus erit. Pro TVA,
et totius SERENISSIMAE CELSISSIMAE-
que DOMVS salute, atque incolumitate, vota con-
cipere non desistam.*

T I B I

SERENISSIME PRINCEPS,


SUBIECTISSIMVS
GEORGIUS CONRADVS STOCKHAVSEN
HASSVS.



CAP. I.

DE CONIUNCTIONE PRVDENTIAE
LEGISL. ET OECONOMICES.

§. I.

 Quemadmodum omnia, ita et varias disciplinas
connexas atque coniunctas esse posse; perspicitur
facillime. Eiusmodi autem coniunctio sese dupli-
ci potissimum ratione exferit, nempe vel ita, vt
coniunctarum disciplinarum neutra sine alterius auxilio syste-
maticè pertractari possit, vel ita, vt neutram aliquis in com-
modum hominis adplicare queat, nisi insimul alterius peri-
tus sit. Illam igitur theoreticam, hanc practicam coniun-
ctionem vocare nihil obstat, immo consultum videtur, vt
huius distinctionis in sequentibus quam maxime rationem
habeamus, et utramque intercedere disciplinas, quas lauda-
mus, non solum a priori, vt aiunt, sed etiam per inductionem,

A

f. ex-

f. exemplis demonstramus. Quia vero de V. diuersis disciplinis nobis res est; necesse est vt VI. diuersa inde emergant Capita, quorum I. explanabit coniunctionem prudentiae legisl. cum oeconomica, II. cum politica III. eiusdem cum scientia camerali, IV. coniunctionem iurisprudentiae et oeconomices, V. eiusdem et Politices, et denique VI. illius et scientiae cameralis.

§. II.

Prudentia Legislatoria, quae est scientia leges reipubl. salubres ferendi, variis opus habet cognitionibus, quas oeconomica praebet, et hinc connexae sunt. Nam cum in constituenda republica versatur, quae sit futurorum ciuium ratio animi et corporis, ponderat, et hoc casu quam maxime ipsi succurrere debet oeconomica, quae siquidem, quos in adquirendis diuitiis instruit, eorum etiam aptitudinem atque genium ad haec vel illa negotia oeconomica scrutatur. Porro requiritur apud LL. ferendarum prudentem exacta situs atque opportunitatis loci et aliarum rerumpublicarum notitia, en autem oeconomicam, quae illum haecce omnia docet. Non solum enim superficialia quadam idea eum fallit, sed solidam ipsi subministrat et naturae loci, et vsus cognitionem. Inquirat in aliarum ciuitatum rationes diligentius, monstrat, quae futurae reipublicae cum illis esse possint commercia, vel ob situm, vel ob peculiare diuitias, quibus altera caret, altera abundat regio. In quo cernatur vis atque gloria cuiuscunque ciuitatis, detegit, et quae sunt reliqua. Ita antiquissimis temporibus Romani sibi prudenter agriculturae et rei militaris studium pro fine constituebant. Certe tutrix publicae salutis agricultura, nec sine ea frequentiam habere, nec populum tueri poterit ciuitas. Suadet eam plurima vice oeconomica, et suadebat Romanis. Habitabant illi terram foetam frugibus, vt ait CICERO, et vario leguminum genere

nerē, quae cum maxima largitate fundebat. Colenda igitur rura, et augendae erant opes, praesertim cum nec commerciis vii, nec alia ratione copiam tum temporis quaerere liceret. Immo nec finis ille secundarius obtinisset, nisi ciues robustiores fecisset atque tolerantiores agricultura. Illa enim strictos reddit artus, minaces vultus, atque bellicosos homines. Ex hisce vero omnibus clarum redditur, in eligendo ciuitati scopo quodam primario, prodesse oeconomiam, immo sine ea de constituenda re publica ne quidem cogitari posse.

§. III.

Fufius agendum erit de necessitate Oeconomices in ferendis Legibus. Id igitur certum, leges omnino omnes ad obtinendum scopum ciuitatis proximum compositas esse debere; et hinc vel eam ob causam opus est Legislatori Oeconomica, quod ille scopus non solum ope istius disciplinae constituatur, sed et ipse plurima vice plane Oeconomicus cernatur. Qua enim ratione scopum aliquis promouere poterit, quem ipse non intelligit, quomodo, vt exemplum superiori §. propositum retineamus, quomodo agriculturae legibus prodesse poterit, cui nec fuit vnquam, nec esse potuit studium arua rueri? Ponderet porro Legislator habitum animi et corporis subditorum. Ast vtiusque ratio quam maxime a coeli temperie atque diuerso viuendi genere dependet, ita quidem vt recte CICERO Orat. II. pro L. Agrar. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac feminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur et viuimus, atque VIRGILIUS Georgic. L. I. versu 417.

Verum ubi tempestas et caeli mobilis humor

Mutauere vias — — — — —

Vertuntur species animorum, et pectora motus

Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat.

Mores etiam et ingenia hominum hisce ex causis variant, quod ipse Cicero ibidem, Carthaginensium exemplo illustrat, et aliis bene multis illustrari potest. Ad venerem sunt procliuēs Itali, partim ob climatis, partim ob victus rationem. Casti erant Germani, praesertim cum peregrinae deliciae aestuosum nondum fecissent sanguinem. Ignauum videas Hispanum, cui pristinae diuitiae ab Indis acquisitae erant, SAAVEDRA Symb. Polit. LXIX. p. 512. seq. quique et hodiernum vberem regionem atque odorum fertilitate nobilem possidet. Mireris diligentiam Belgae, cui benignam naturam defraudare haud licet, effoetam inhabitat atque sterilem terram, cui demum indolem et formam dedit solertia. Quid igitur magis necessarium erit Legum ferendarum prudenti Oeconomica et quidem in specie provinciali et harmonica? Sane dum extirpandis vitis studet, non sufficit poenis munire legem prohibitivam, id potius prudentiae erit, vt in causam delicti impulsuam inquirat, illam demat et eo ipso, ne delictum committatur, impediatur. Facta enim infecta fieri nequeunt, et delictum commissum non potest non ciuitati nocere, quae et quanta etiam adhibeantur media omnia ad pristinum statum reducendi. Iam vero causae istae delinquendi impulsivae, et deprauati mores, quam saepissime climati, atque victus generi, originem suam debent, vti hoc ipso §. variis exemplis demonstrauimus; igitur cum earum rerum ea sit ratio, vt non nisi ope Oeconomices recte intelligi possint, bene sese habebit thesis nostra, quod sc. Legislatori necessaria sit Oeconomices scientia.

§. IV.

§. IV.

Quandoque etiam delicta eius sunt generis, vt vel plane eradicari nequeant, vel si exasperatis poenis, aut alio modo, eorum extirpatio obtineatur; maiores exinde ciuitatis morbi enascantur, cuius rei ratio quoque saepissime ita est comparata, vt ad intelligendam eam, non mediocri prudentia Oeconomica opus sit. Satis enim subinde abscondita est huiusmodi ratio, et nihilominus interest reipublicae, vt delicta, quorum eradicatio maiora mala inuectura esset, vel in totum tolerentur, vel, ne nimis erumpant, tantum restringantur. Exemplo esse possunt toleratio lupanariorum, olim apud Romanos, et hodie in diuersis Belgii ciuitatibus; vbi effrenis libido hominum asperorum et inculorum, quales sunt remiges et nautici, prudenti magistratui suadent, immo necessariam faciunt, eiusmodi tolerantiam. Tandem et in persecutione delictorum poenali adhibendae sunt regulae Oeconomices. Certe, innumerae dantur poenae, quibus in Legum violatores animaduerti potest; quemadmodum vero deprauatis hominibus nulla vnquam lex satis sancta fuit, quam non violassent, ita, quae deinde necessaria est poenarum irrogatio, tamen sic institui debet, vt ea, non de nouo ciuibus et reipublicae, quae ipso delicto iam laesa erat, damna inferantur. Hac ratione poena carceris plurima vice taxanda est, eo enim inclusus nec sibi, nec suis, nec reipublicae prodesse potest, immo quam saepissime incommodum alendi, in illos redundat, quibus, dum de delicto nullum est negotium, tamen reuera hac alimentorum praestatione poena irrogatur. Eiusmodi argumentis Oeconomica illum puniendi modum impugnat, sed dantur adhuc plura, quibus et hanc carceris poenam, et multas alias tanquam ciuitati nociuas, refellit. Ad hunc numerum saepius pertinent vltima supplicia, eorum enim loco grauiores labores delinquentibus imponere proficuum esset.

§. I V.

Consideremus etiam necessitatem Oeconomices in ferendis Legibus ciuilibus. Illae quidem ratione earum rerum, quae in bonis sunt, vel esse possunt, suum cuique tribuere, i. e. ex aequo et bono, quid ad quemuis spectet, diiudicare debent. Hoc autem ea lege agunt, vt, si fieri posset, quemuis reipublicae ciuem locupletem, nec tamen cum alterius damno, reddant, et eo ipso communem ciuitatis scopum obtineant. Temperant igitur ciuium actiones circa acquisitionem, conseruationem atque vsum bonorum terrenorum, quapropter quales illi secundum ipsam rerum naturam sint, vel esse possint, illum scire oportet, qui id agit, vt legibus armet rempublicam. Rem exemplis demonstremus. Acquisitioni bonorum oeconomicae, modum subinde et formam dant leges ciuiles, cuius rei innumera adsunt exempla, atque hoc casu quam maxime necessaria est tum ipsorum bonorum, tum etiam modorum ea acquirendi notitia, alias enim qui vult commodo cedere, facillime eiusmodi determinationibus acquisitionis bonorum, haud leue detrimentum oeconomiae publicae et priuatorum adferre posset. Idem obtinet in modis acquirendi, qui sunt mere ciuiles, quibus praesertim ius Romanum abundat. Eum in numerum referri debet hereditas, tum illa ex testamento, tum ab intestato, atque si recte inquiras, videbis, non solum multa circa eam statui posse, quae oeconomiae et eo ipso saluti publicae auersantur, sed etiam varias determinationes huius modi acquirendi reuera praesertim in Iure Romano occurrere, quae si recta oeconomices ratio habeatur, neuiquam statui potuissent. Nec tamen cum quibusdam dixissem, omnem hereditatem reipublicae esse nocuam, id quod ii faciunt, qui praeceptis iuris naturae nimis indulgent, atque omnia ad pristinam illam simplicitatem reducenda esse putant.

§. VI.

§. VI. Formam quoque ac modum leges ciuiles adiuiciunt re-
rum dominiis, et hinc quasdam res subinde prohibent in
dominio haberi, quarundam etiam dominia mere ciuilia con-
stituunt. Ita vt homines sint in dominio, s. vt dentur serui
atque homines proprii, inuexit ius Romanum et consuetu-
dines Germanicae. Ast quanta in eiusmodi iuribus consti-
tuendis sit oeconomices vtilitas atque praestantia, hoc ipso
exemplo videamus. Seruitutem quidem iuri naturali et S.
litteris repugnare, haud ita temere putauerim, sed Oecono-
mices dictamini eam non bene respondere, facilius probaue-
rim. Nempe eiusmodi homines, qui sciunt, grauissimis suis
laboribus sibi tamen nihil adquiri, homines, qui illud tritum
spirant, sic vos non nobis mellificatis apes, homines tandem,
qui sustium istu auaritia domini atque voluptati inseruire
coguntur: illi inquam parum vtilitatis et sibi, et dominis, et
reipublicae afferunt. Innatus est hominibus amor liberta-
tis, atque, aliquid proprii vt habeant, prono flagrant deside-
rio. Ibi fons reperiendus est, in quo sint prima incitamen-
ta naturae, et a primordiis hominum, et laborum maximum
incitamentum fuit, et periculorum libertas. Vberes effun-
dunt fruges, quas libertas colit segetes, verum languescunt
arua, vbi exsanguis in eodem vestigio haeret seruitus. Certe
multi, qui iam vnus arbitrio subsunt, atque seruili labore eius
opes augere coguntur, si libertate gauderent, ciues frugi, at-
que etiam hero suo maiorem vtilitatem adferre potuissent.
Sed quis faecem hominum inculcorum compefceret, qualis esse
solet seruilis familia? An quaeso eum in modum aspera
fuisse, nisi constaret hominibus, qui ob diram conditionem
dudum de fortuna sua desperarunt? Id quidem certum, vt
si consilium caperetur eiusmodi turbam miserorum manu-
mittendi, tum haud mediocri prudentia opus esset, impe-
diendi

diendi, ne impurissimis pileis obrueretur respublica. Cum autem pro libertate vindicias scribo, non solum de hominibus illis, qui proprii dicuntur, mihi sermo est, sed etiam de rusticis illis, qui eum in modum oneribus personalibus atque realibus obruti iacent, ut sane non multum supra seruos sint. Nam et hi, si in ratione ad rem publicam considerentur, nisi plane inutilia societatis civilis membra videantur, tamen miserrima ipsis est res familiaris, eo quod vires desint atque superiorum auxilia. „Remarques sur les avantages et les des-
 „avantages de la France et de la grande Bretagn. par rap-
 „port. au commerce. par Mr. le Chevalier NICOLLS. p. 19.
 „et 20.„ Quod ad homines proprios, obicias forsitan exempla, ubi utilitas publica et humanitas dominos adegit, ut lenius de seruis suis agerent: id vero est, quod volo, atque id si eueniat, tum quoque libertate donari possent, cum exinde nulla sit gloria, ut saltem nomen seruorum gerant ii, qui tamen melioris sunt conditionis. Porro obitices, etsi multi in seruitute egeni existant, sufficere tamen, vnum exinde diuitem euadere, nempe herum: ego autem quaero, quid rei publicae conducatur, vtrum vnus opulentia, an plurium mediocris fortuna? Sine dubio haec et multa alia, quae contra seruitutem militant argumenta, in animo habuere Reges immortalis gloriae, Fridericus IV. cum in Dania omnem seruitutem tolleret, atque quemuis ruricolam libertate bearet, et Fridericus Rex Boruff. qui publicata anno 1702. Ordinatione, quae ad pagos spectat, (*Dorfordnung*) §. 61. homines proprios in Westphalia et comitatu Rauensbergenfi non solum liberos declarauit, sed et omnes eorum praestationes, quae seruilem conditionem redolent, sustulit. Ne tamen, quod in fine disputationis adicio, regulam sine exceptione in medium proferam; largior, subinde rationem status contra libertatem pugnare, adeoque ex politicis rationibus

nibus seruitutem, quae semel inualuit, retinendam, nec tamen nouam introducendam esse.

§. VII.

Quo tandem eo melius de nexu disciplinarum constet, quas iam tractamus: pauca adhuc exempla adlegabo, vnde adparet, quid, sequatur neglectum alterius scientiae in applicanda altera. Supra §. 3. seq. de diuersitate iurium ex climatis diuersitate varia diximus, iam vero, quod eiusmodi diuersitas etiam ratione legum ciuilium obrineat, moneam necesse est. Nam si iura seruitutum Romanarum indistincte Germaniae nostrae adplicare velles, nonne absurda exinde sequerentur? plane alia est caeli, soli, atque oeconomiae ratio. Porro si easdem nobis cum Romanis messis atque vindemiarum ferias constitueres. Tandem si Germanis anno aetatis XIV. matrimonia celebrare permitteres, et quae alia huius generis exempla proferri possent. vid. BOEHMERVM *de iurium diuersit. ex climat.* Inde vero est, quod iura, quae oeconomiae rationi non conducunt, saepissime introducta consuetudine contraria vincantur, et tum felix dici poterit populus, qui hac ratione sibi proprium fert auxilium, atque tantis malis, quae ex inepto iure metuenda fuissent, solo non vsu pedem struit. Quo maior autem est oeconomiae in leges criminales atque ciuiles influxus, eo magis quoque liquet, iura publica non nisi habita ratione oeconomices constitui debere. Iterum ad diuersitatem climatis atque victus generis cum celeberrimo MONTESQUIEV recurrentum est, cuius tamen in hac re nimiam licentiam taxauit L. B. ab HOLLBERG, in libro, cui titulus *Remarques sur quelques positions, qui se trouvent dans l'esprit des Loix.* Confer etiam, quae 1751. editae sunt, *Observations sur l'esprit des Loix.* Certe maximis laudibus exceptus est liber ille l'esprit des Loix, sed vti omnia, ita praecipue doctrina eius de influxu climatis in mores gentium at-

que statum politicum impugnata est. Haec quidem doctrina neutiquam nouum quoddam inuentum dici potest, nam antiquissimi scriptores eam iam perfectam habuere, quorum mentionem feci §. 3. et nostris temporibus vna cum MONTESQVIEU eam agnouere plures, inter quos audiamus MOSHEMIVM, *Instit. Hist. eccl. Sect. I. P. I. c. 1. et 5.* Qui soli orienti oppositi erant populi, seueriori Regum aut tyrannorum dominatione premebantur, ad quam patientius ferendam corporis animique mollities, ipsaque religio, quam profitebantur, multum conferebat. Septem vero trionibus aut subiecti, aut propiores, longe maiori utilitate utebantur, quam coeli inclementia, corporisque inde nata temperatura, vna cum disciplina et religione, tuebantur. Possent, si vellem, adhuc plurimum auctoritate in hac re vti, aut sufficiat, quod haud in difficili reperitur, quanta sit in animi atque corporis rationem, climatis et victus generis, vis atque potestas, bene digesta Philosophia perspicere. Recte igitur his ex rationibus formas quoque rerum publicarum deducit MONTESQVIEU, *e. c. L. XVIII. c. 2.* „Les pais fertiles „sont des plaines, où l'on ne peut rien disputer au plus fort: „on se soumet donc a lui; et quand on lui est soumis, l'esprit „de liberté n'y sauroit revenir, les biens de la campagne sont „vn gage de la fidélité.„ et multis aliis locis asserit, quod coeli temperies temperatam quoque imperii formam pariat, e contrario autem torrida zona regnis despoticis abundet. Nec sine ratione putat VOLTAIRE, quod regio omnium rerum adfluentibus copiis ditata plerumque despotice regatur, ait: „dans tout l'univers le Despotisme est le fruit de la richesse.„ *Essai sur l'Histoire universel. Tom. IV. p. 240.* Recte tamen etiam L. B. ab HOLLBERG „Le pur hazard donne „souvent la forme aux gouvernemens. Lorsque les vices se „glissent dans vn etat populaire, on en voit naitre une aristocratie;

„cratie; Lorsque les grands tachent d'affervir ou d'ecrafer la
 „populace, le gouvernement devient monarchique, et lors-
 „que le monarque abuse de sa puiffance, et quelle degenerate
 „en tyrannie, le peuple se revolte, et l'etat populaire se re-
 „tablit.

CAP. II.

DE CONIVNCTIONE PRVDENTIAE
LEGISLATORIAE ET POLITICES.

§. VIII.

Politica, Germ. *Polizeywissenschaft*, quidem est disciplina,
 quae docet, qua ratione legibus et aliis institutis publicis
 Oeconomia cum priuatorum tum publica ad communem ci-
 uitatis scopum dirigenda sit. Vid. Diff. mea de scientiarum
 Cam. finibus regendis. Quin igitur hanc disciplinam
 atque prudentiam legislatariam arcta necessitudo intercedat,
 vel ex eo colligas, quod ambabus vna pro parte eademque
 res curae cordique sit. Quemadmodum enim Politica in
 specie leges, quae habent obiectum atque finem oeconomi-
 cum, prudenter ferendas docet, ita prudentiae legislatoriae
 de Legibus in genere negotium est. Eatenus igitur Politica
 pars Prudentiae legislatoriae haberi debet, illi tamen aliquid
 est praecipui, quod scilicet praeter Leges, alia quoque pu-
 blica instituta condat. Atque haec ipsa publica instituta be-
 ne cognita habeat prudens legum ferendarum, illis enim et
 prodesse et officere potest ciuilibus criminalibus atque legi-
 bus ceteris omnibus, ille cui demandata est cura politiae.
 Ceterum quum ad legum ferendarum prudentem id etiam
 pertineat, vt quae esse debeat in Ciuitate Collegiorum et re-
 liqua munerum publicorum ratio, decernat; inde etiam ne-
 cessarium euadit, vt ipsas politices regulas intelligat, prae-

fertim si de eo quaestio sit, cuinam in republica politicae cura demandanda veniat. Nam ex ipsa demum politicae natura, adiuuante etiam Oeconomica, recte colligi potest, quaenam sit ratio administrandae politicae, vnde maximum ciuitati commodum expectandum veniat. Certe plerisque in rebus publicis multa taxanda inueniet ille, qui inter ipsius politicae naturam, atque modum, quo actu administratur, comparisonem instituerit. Mihi semper ratio administrandi politiam, quae in Gallia viget, mirum in modum arrisit.

CAP. III.

DE CONIUNCTIONE PRVDENTIAE

LEGISLATORIAE ET SCIENTIAE

CAMERALIS.

§. IX.

Quae sit recta prudentiae cameralis notio, quoque dixi in Dissertat. supr. allegata. Erit nempe scientia, quae aerarium atque fiscum sapienter administrandos docet. Aerarium est illa redituum summa, quae actu in reipublicae vsus conuertitur, fiscus autem constat pecunia, quae sustinendae Principis dignitati impenditur. Hac ratione in omnibus omnino rebus publicis distinctioni inter aerarium atque fiscum locum esse existimauerim, modo summae potestatis atque populi personae distinctae reperiantur. Quo sensu Romani vocabula illa acceperint, vid. apud MASCOVIVM *Iur. publ. Imp.* ----- . Quemadmodum vero omnia, ita etiam aerarii et fisci rationem cuiusuis reipublicae determinare possunt Leges fundamentales, immo subinde necessarium est atque exigit ratio status, vt eiusmodi determinationes adiciantur. Et quum in bene constitutis aerario atque fisco, tutissima cernantur publicae salutis praefidia, hinc prudentia legis-

legislatoria non solum in constituenda, sed et constituta re-
publica eorum rationem habeat, atque Legibus variis de illis
caueat. Igitur statim initio vnde in futura republica reditus
publici depromi, nec non quales et quanti esse debeant; de-
cernit prudens Legum ferendarum, ius enim publicum vni-
uersale eiusmodi determinationes ignorat. Atque hic opus
est scientia Camerali, quae siquidem de variis redituum ge-
neribus exponit, tum quatenus recta ratione de iis constat,
tum etiam quatenus in aliis ciuitatibus humanis legibus vel
vsu determinata reperiuntur, quaeque docet, quanam redi-
tuum species pro ratione status ciuitati conducatur. Nempe
subditi quidem in genere ad ferenda onera publica obligan-
tur, sed quinam ex illis dare debeant, quid et quantum con-
ferre atque quo tempore, id mox legibus fundamentalibus
definitum cernitur, mox imperantis arbitrio relictum est,
nisi quod hic etiam subinde statuum vel etiam totius populi
consensu egeat.

§. X.

In omni autem camerali prudentia suprema lex esto ae-
qualitas inter conciuies seruanda, ita quidem vt quilibet pro
virium ratione atque securitatis et auxilii, quod a ciuitate exi-
git, ad ferenda onera publica conferat. Hanc ipsam vero
aequalitatem docet Scientia Cameralis, atque hinc primo ci-
ues opulentos ad contribuendum adstringit, „car il faut s'at-
„tacher dans tout Etat, soit Monarchique soit Republicain
„et plus encore dans celui-ci que dans l'autre, à demander
„de l'argent à ceux qui en ont. N'est-il pas surprenant
„qu'un pauvre Artisan, qui n'a pas de pain, soit obligé de
„payer des impôts, pendant que cent et cent autres régor-
„gent des richesses inutiles à l'Etat; lesquelles, loin de con-
„tribuer à ses besoins pressans, sont de jour en jour aug-
„mentées par des mains avides, qui ne savent que de piller
„les

„les petits.,, La Rêpublique sauvee du péril où elle se trouve p. 9. et 10. Quo magis autem axioma nostrum arri- det viris vere politicis atque iusti et aequi amantibus, eo tamen difficilius eiusmodi aequalitas obtinetur, quae saepenumero frustra felicissima exercuit igenia. Variis in ciuitatibus, varia quoque ad obtinendum huncce finem media adhibita videas. In Anglia de rebus illis subinde exigunt vectigalia, quae solummodo in diuitum sunt commercio. „Faut - il „de l'argent, on ouvre une souscription, on met un impôt, „sur qui? sur les Carosses, sur les vins de Bourgogne et autres de France, sur les maisons, NB. qui ont plus de 13. fenêtres, et sur d'autres semblables effets, qui sont de l'usage „des Grands, et sur qui retombe par conséquent l'impôt, „qu'ils ont eux-mêmes réglé.,, Sed quia etiam opulentis ciuibus eo magis parcendum est, quo magis ad conseruandam libertatem faciunt, atque multis aliis modis reipublicae vtilitatem afferre possunt, eam ob caussam in maximum ciuium commodum, aerario atque fisco eiusmodi res adiudicantur, quae hactenus erant nullius, quaeue praeterea priuatos haud ita vtiliter gerere posse constat. Hinc in Germania nostra, id plurima vice prudenter factum esse videas, vt iura illa, quae vocantur regalia ytilia, Principi tribuerentur, atque hac ratione, non solum eo maior ex iis, quae profert regio, vtilitas caperetur, sed et ciues cuiuscunque generis, respectu tributorum atque vectigalium, mirum in modum subleuarentur.

§. XI.

Quumque in genere deceat legum ferendarum prudentem, vt exactam habeat tum ipsius reipublicae, in qua leges ferendae, tum etiam aliarum rerumpublicarum notitiam; facili perspicitur negotio, ipsi hunc in finem nihil magis necessarium esse scientia Camerali. Certe in cognoscenda quacun- que

cunquē ciuitate, vtramque paginam facit rei cameralis notitia. Inde enim non solum varia, si bonum videatur, suis applicari possunt rationibus, sed etiam quia et in ciuium frequentia, et in aerarii opulencia vis continetur atque potestas cuiuscunque imperii; inde quid a quauis republica metendum, quidue efflagitandum, tutissimo colligitur artificio. Tandem, quia etiam iuris, quo in aliis rebus publ. vitnr, peritus esse debet, qui de ferendis Legibus cogitat, atque eiusmodi iura praesertim si ad rem cameralem spectant, e. g. Domaniale et ea quae fiscum concernunt, non nisi bene cognita ipsa re camerali, recte demum intelligantur: inde nouum emergit argumentum, quod euincit scientiam Cameralem esse in necessariis prudentiae legislatoriae subsidiis. Licet autem multa eius generis argumenta adiuicere facillimum esset, tamen quo magis instituti rationem perpendo; eo magis ad alia progredi lubet.

CAP. IV.

DE

CONIUNCTIONE IURISPRVDENTIAE
ATQVE OECONOMICAE.

§. XII.

Iurisprudentia, cuius est Legem interpretari, primo eiusdem eruit sensum, qui cuiuscunque sit generis, tamen Oeconomica requiritur scientia, si bene succedere debeat legis interpretatio. Ponas illum esse verbalem, num, si perpendas, leges de meo et tuo, adeoque de bonis huius terrae disponere, Oeconomica legum Interpreti adeo erit necessaria, vt absque illa oleum operamque suam omnem perdidisse videatur. Oeconomica enim naturam atque indolem earum re-

rum

rum exponit, quae ut plurimum obiecta legum constituunt, e. g. modos acquirendi oeconomicos, quos saepenumero temperant leges civiles. Haec autem obiecta bene cognoscere debere Legum interpretem, quis non intelligit? De sensu Legum technico simile negotium. Loquimur de illo, qui ab artibus atque variis negotiis aliis desumptus, eam ob causam Legibus inest, ut eo clarius atque indubitatus exinde constet, quae sit Legislatoris de hac vel illa re dispositio. Innumera huius argumenti in omni iure inuenies exempla, ubi quod ad Ius Romanum, evolvas Materiam Legatorum. Plerique Tituli turgent terminis technicis ab Oeconomia veterum tum rustica tum urbana desumptis, e. g. *π. de Instr. vel Instrum. leg. de Suppellect. leg. de penu legata*, et sic porro. Nulla enim terminologia antiquior est oeconomica, atque a primis temporibus eo magis homines futere proclives, linguam suam hac in causa certam definitamque reddendi, quo magis id ipsa rei natura exigit, quae prompta requirit iussa atque responsa, promptam obedientiam. Procul dubio etiam valde adaequatas et ab omni affectatione alienas reperias rerum oeconomicarum denominationes, praesertim si eorum cum terminis in Philosophia scholastica receptis, comparisonem institueris. Et quia tantus est rerum, quae sunt obiecta Oeconomices, ambitus, quantus quoque exinde emergat denominationum atque terminorum technicorum numerus, facillime intelligitur. Iam cum legem interpretari idem sit, ac veritatem quandam eruere atque recte intelligere; veritas autem in conuenientia rei cum verbis continetur; consequens est, ut res illas bene intelligere debeat Legum interpres, si et verbalem et technicum sensum eruere cupiat. Accedit quoque illud insigne atque praeclarum Interpretis officium, quod vult, ut rationem reddat atque finem Legis eruat, cuius si cum reliquis officiis insimul rationem habea-

habeamus, inde demum recte colligi poterit, quanta in interpretandis LL. Oeconomices sit utilitas atque praestantia, praesertim si rem vno alteroue exemplo illustrauerimus.

§. XIII.

Nempe constat, rationem legis cuiuscunque, saltem pro parte, in ipso legis obiecto sitam esse debere. Igitur cum pleraque legum obiecta, eo quod insimul sint obiecta Oeconomicae, etiam non nisi huius ope recte cognoscantur; Oeconomicam calleat necesse est, bonus interpret. Certe legum ciuilium summa in eo cernitur, vt suum cuique tribuant, adeoque non potest fieri non, quin ipsis semper de bonis huius terrae res sit. Immo si etiam in illa negotia inquiras, quae mere ciuilia videntur, qualia praesertim Ius Romanum in acquirendis rerum dominiis multa inuexit, tamen videbis, primam eorum originem in Oeconomica quaerendam esse. Illa a primis temporibus foecunda extitit pactorum cuiuscunque generis inuentrix, et quae etiam summa cum diligentia, felicissima Ictorum ingenia in abstractione excogitare frustra allaborassent, illa in ipsis rerum argumentis apte, et naturae, loco, temporisque conuenienter introduxerunt necessitas oeconomica atque utilitas. Inde vero intelligitur facillime, non solum rationem sanctionum ciuilium, sed et finem plerumque oeconomicum reperi, id quod iterum e Iure Romano, exemplo seruitutum rusticarum optime illustrari poterit. Igitur quum tota Lex intelligatur bene perspecta eius ratione, neque, vt ait CICERO pro *A. Caecin. XVIII.* quidquam opus sit verbis, cum ea res, cuius causa verba quaesita sunt, intelligatur: ICTus vt reliquis subsidiis, ita praesertim oeconomica quoque prudentia condecoratus, explicandas leges accedat.

C

§. XIV.

§. XIV.

Hinc etiam ex Romanis ICtis nonnulli Oeconomices aequae ac Legum peritia celebres fuere, quorum illustre praebet exemplum M. Porcius Cato, vir, cui tam versatile ingenium pariter ad omnia fuit, ut natum ad id vnum dixisses, quodcumque ageret. CIC. in Bruto Cap. XV. ut taceam laudes, quas LIVIVS, CORNEL. NEP. QVINCTILIAN. VALER. MAX. pro ingenii vbertate in eum effundunt. Extat inter alia eius opera illud praeclarum de re rustica, PLVTARCHVS in *Cat. Mai. p. 351.* id quod et hodiernum ICtis pariter ac Oeconomis carum esse debet. Certe etiam illi scriptores rei rusticae, in magnam iuuentutis vtilitatem, auctoribus multis aliis quos vocant classici substitui, atque eo ipso tum genere dicendi, tum primis Oeconomices rusticae fundamentis instrui posset. DITHMARVS, *Isagoge scientiarum Cam. pag. 21.* Qui plerumque tractantur auctores, saepius de rebus exponunt, quae vel excedunt captum tironum, vel etiam bonis moribus officunt. Quid e. g. puero octo vel nouem annos nato de gestis Alexandri M.? Sed haec in parenthesi. Exemplum igitur Catonis sufficiat in medium proluisse, in genere de ICtis Rom. afferi debet, nullum saltem ob ignorantiam in rebus oeconom. reprehendendum esse. Quod ad nostra tempora, ex quo reuiuiscere coeperunt studia oeconomica, in illis quidem multi Themidos sacerdotes diligentiam suam collocarunt, attamen haud ita obuui deprehenduntur, qui in vtroque studiorum genere aequales fecissent progressus. Quin etiam saepius miserrimam produnt ignorantiam, cum ratioem legis atque finem ex oeconomices principis eruere conantur. Memini illius, qui cum de seruitute arenae fodiendae differeret, maximum fuisse in Italia arenae vsu, ad temperandum nimium agrorum aestum, sibi et aliis persuadebat. Noui auctorem quendam, qui cum

devenatione iuridica ratione exponere vellet, atque legisset, „*der Hirsch geht nach dem Geiße*“, vertere non dubitabat, Certeus cadauera petit. etc. Sane eiusdem farinae insania ac illa, quam proferebat ille, qui *das Reichsherkommen*, ICTum quendam Germaniae celeberrimum fuisse putabat, cui nomen Hercomannus. Thomas de iuris scripti et morum contentione §. XV.

§. XV.

Vario probationum genere eo allaborauimus, vt de necessitate atque vtilitate Oeconomices in explicandis Legibus constaret certius; id vero adhuc monendum, Interpretem non solum principiis Oeconomices vniuersalibus imbutum esse debere, sed requiri etiam, vt in specie Oeconomiam illius prouinciae calleat, cuius sunt Leges explicandae. Hinc qui vult interpretari Leges Romanas, intelligat Oeconomiam prouincialem Italiae, cui de Legibus Germaniae res est, perspectam sibi habeat rationem administrandi bona, quae in Germania viget. Differunt enim Oeconomiae pro climatis et regionis varia ratione, quin etiam si perpendas, vsum et vulgarem consuetudinem id subinde efficere, vt variam rei domesticae gentes adhibeant diligentiam, cui accedit, quod sensim sensimque noua inuenta, atque vltiores in rebus oeconomicis facti sint progressus; facillimo perspicias negotio, veluti chronologica ratione cuiusuis prouinciae, Oeconomiam tractandam, adeoque in explicanda Lege quadam, ad tempus, quo lata est, respiciendum et oeconomiae, quae tunc fuit, rationem habendam esse.

§. XVI.

Quam pro instituti ratione satis euictam esse putamus, Oeconomices in explicandis Legibus necessitatem, illam mitimus, atque quum ius omne nisi factis hominum adhibea-

tur, otiosum fit; ad demonstrandam in adplicandis Legibus Oeconomices utilitatem atque praestantiam nos accingimus. Cum de adplicatione cogitatur, ante omnia cognoscenda est facti species cuius si recta atque genuina placuerit notio patebit, causas in forum deductas, formas, seu species factorum, non nisi ope Oeconomices recte cognosci posse. Nam species facti primo enascitur ex actione hominis circa rem, ubi igitur ante omnia rem istam bene perspectam sibi habere debet, qui genuinum causae statum recte intelligere cupit. Atqui si rationem habeas definitionis rei, quae primis traditur Iurisprudentiae elementis, perpaucas fingere poteris exceptiones, quae probarent absque Oeconomica res illas, quae continentur speciebus factorum, recte intelligi posse: igitur constat de veritate thesEOS nostrae, quae tamen praeterea etiam exemplis firmanda erit. Eorum luculentissimum perere licebit ab inspectionibus ocularibus, quae subinde iudici incumbunt, atque insignem officii eius partem constituunt. Cautum quidem, ut Iudex hoc in passu artis cuiuscunque peritos adhibeat; sed nonne hi subinde res illas ipsi non intelligunt, et si vel maxime taliter qualiter intelligant, confusas tamen fouent ideas, et quid sibi velint nescii, cruda quaeuis atque insulsa iudici referunt. Nam plane alia ratione res inspiciendae sunt iuridice, ubi sc. quae vocant, merita causae, atque momenta illa, quae ad ferendam sententiam faciunt, notari, atque bene perpendi debent, plane alia eas contemplatur artifex qua talis, quae omnia rei metallica exemplo optime perspicere poteris. Ibi, si in metallum damnatis, cum de finibus regundis quaeritur, credere velles, quae, quales, quantae futurae essent sequelae. Inde vero etiam in rebus metallicis ille, qui ocularem habet inspectionem, atque ipse iudex vna sunt persona, quod institutum in causis omnibus aliis imitandum esset, ne iudex, dum alienis

nis

nis oculis cernere sibi videtur, reuera coecus maneat, atque praeposteras et perplexas subinde sententias proferat.

§. XVII.

Quo magis autem Iudex res quasuis cognoscere debet, eo magis etiam personarum notitiam habeat necesse est, quae mox reum, mox actorem, mox testes, mox tertiam quandam personam interuenientem constituunt. Quum vero nunquam non omnes reipublicae ciues certo quodam oeconomico atque politico statu gaudeant; hinc eo magis opus est oeconomica atque politica prudentia, quo magis in cognoscenda specie facti et ferenda sententia interest, ut etiam hac ex parte de personarum habitu et conditione iudici constet. Certe absurda, ridicula, atque etiam reipublicae saluti contraria eueniunt, nisi hunc personarum statum penitus sibi perspectum habuerit. En huius rei exemplum! Iudicatum fuit a Facultate - - - - vt der Bergknapschaft zu - - - irrogaretur poena carceris III. Mensium. Atqui illa constabat DCCC. viris, et vt notum est, plerumque illa vniuersitas, quae vocatur die Bergknapschaft, eiusmodi numerum explet, vel saltim CC. vel CCC. capita efficit. Perpetrauerat illa delictum quoddam, cuius in poenam si vna alteraque persona deliquisset, illa carceris poena forsitan satis adaequata fuisset, nisi omnem carceris poenam taxandam esse dicamus. (§.) Sed quid de tanta hominum copia? Quis eam custodire debuisset, qui carceres eam recipere, quid tandem de metallifodinis, si laudata illa Bergknapschaft tota quantia inclusa fuisset? Paucis, tota res ad absurda redit, quae vt committerentur, nihil aliud fuit in causa, nisi quod ignorarent Domini SENTENTIONANTES, quid esset eine Bergknapschaft. Quemadmodum vero in adplicando iure in genere oeconomica requiritur prudentia, ita et in specie tum, quum iudex arbitrari, seu arbitrium interponere dicitur, ea quam maxime opus est.

est. Illud arbitrium reuera est species legislatoriae potestatis, et quum Sect. III. Cap. I. demonstrauerimus, quanta sit in ferendis quibuscunque legibus, Oeconomices necessitas, quanta praestantia; hinc eo prouocamus, atque omnem ulterio-
rem probationem mittimus.

§. XVIII.

Vides igitur, Iurisprudentiam et Oeconomicam esse disciplinas connexas, ita quidem, vt folius Iurisprudentiae principiis imbutus, nec interpretari, nec recte adplicare possit Leges, de quibus ipsi res est. Sed et Oeconomica opus habet Iurisprudentia. Ne dicam illam legibus dirigi atque gubernari debere, de eo enim Cap. sequ. sermo erit; id mihi tantum volo, bonum patrem familias, ad recte instituenda negotia sua adquisitoria, conseruatoria, atque illa, quae vsum bonorum spectant, iuris quo in ciuitate vitur omnino peritum esse debere. Id vero ex ipsis disciplinarum definitionibus consequi mihi videtur, et quum insuper experientia quoque confirmetur; ab ulteriori probatione iure meritoque abstineo. Id tamen adhuc moneam necesse est, quod e peregrinis etiam iuribus magnam subinde vtilitatem capere possit ille, cuius est in Oeconomicas prouinciales inquirere, atque exinde Harmonicam illam exstruere. Hanc operam omnium optime nauabit Oeconomus, qui non solum vniuersalem, sed et prouinciales bene multas Oeconomicas intelligit, atque exinde, quam ego statuo Analogiam, simili ratione ac illa in Iure statuitur, bene perspectam sibi habet. Sic ex Corpore Iuris Romani, adiuuantibus reliquis subsidiis, Oeconomica Romanorum, vti quouis tempore sese habuit, erui, atque eius systema componi posset. Id vero opus quo certius Ictum pariter ac Oeconomum in vna persona coniunctum requireret, eo maiorem etiam Ictis pariter ac Oeconomis vtilitatem adferre posset.

§. XIX.

§. XIX.

Tandem exinde quoque haud leue enascitur inuitamentum ad coniungendam Legum, et Oeconomicam prudentiam, quod ea sit plerumque officiorum ratio, vt ei, qui administrandae Iustitiæ præpositus est, infimul variae curae oeconomicæ demandatae sint, et vice versa. Huius rei exemplum nobis præbeat Officium Praefecti (*eines Amtmanns*), cuius vide Instructionem apud SECKENDORFIUM *teutschen Fürstentstaat*, quae inter varias Instructiones, quas adiecit, numero nono venit. Videbis iudiciale cum oeconomico coniunctum, atque eam plerumque esse huius officii rationem in Prouincijs Germaniae, quam SECKENDORFIUS illa Instructione expendit. Sed integra etiam Collegia saepenumero ita sunt comparata, vt licet solummodo iustitiæ præposita esse videantur, tamen etiam multa, quae ipsis curae sunt, nisi oeconomica prudentia, nunquam recte gerantur. Vice versa eiusmodi Collegiis, quibus mere oeconomica demandata putaueris, subinde quoque de iudiciali res est, quae omnia ex more et legibus cuiusuis Prouinciæ illustrari debent. Adde Ill. STRUBENII Librum, cui Tit. *Gründl. Unterricht von Regierungs und Justitzsachen*, nec non eiusdem *Nebenstunden Part. III. Tract. 13.*

CAP. V.

DE

CONIUNCTIONE IVRISPRVDENTIAE
ET POLITICAE SCIENTIAE.

§. XX.

In interpretandis Legibus Icto eam ob causam opus est Prudentia Politica, (*Polizeywissenschaft*) quia in numero Legum explicandarum permultae etiam reperiuntur, quae sensu proprio dicuntur Leges politicae (*Polizeygesetze*). Qua-

les

les illae sint, ex ipsa politica definitione, quam Cap. II. prae-
 buimus, colligi, atque eo ipso differentia earum a legibus ci-
 uilibus erui poterit. Saepius etiam de caussarum politicae et
 earum, quae iustitiae dicuntur, conflictu loquuntur, cuius ar-
 gumenti peculiarem adesse noui Dissertationem, quam D.
 SCHREIBERVS a. 1739. Goetingae habuit. Mea de hac
 re haec est sententia. Politica est species prudentiae legisla-
 toriae, et quemadmodum haec in genere fert leges publicas
 atque priuatas, ita illa in specie fert leges politicas. Quum
 vero ex legibus quibuscunque, dum factis hominum adpli-
 cantur caussae, quae audiunt iustitiae, proueniant; necesse est,
 vt etiam legibus politicis ad facta ciuium adplicatis, caussae
 iustitiae enascantur. Et hac ratione nullum harum caussarum
 conflictum videre licet, sed tota res eo redit, quod res poli-
 tiae minores iudicis arbitrio relictae sint, atque ille cum qua
 iudex solummodo causam cognoscere atque leges politicas
 adplicare debuisset, eodem momento et legem politicam fer-
 rat, et eandem adplicet. Vestigia autem huius potestatis le-
 gislatoriae a Iudicibus explicatae iam priscis Germanorum
 temporibus videre licet. Certe Scabini illi in ferendis sen-
 tentiis non solum ciuilia iura constituerunt, sed et in politicae
 caussis noua bene multa inuexerunt. Eius rei rationem nul-
 lam aliam esse putauerim, nisi defectum atque ingentem Le-
 gum penuriam, quae in Germania antiqua erat, immo qua
 passim hodiernum laboramus. Accedit etiam, quod cum in
 Germania adhuc solius Imperatoris esset cum consensu sta-
 tuum Leges ferre, sane nimis vastum esset Imperium quod
 etiam in minimis suis partibus debite Legibus gubernari po-
 tuisset. Et quod ad Leges politicas, ego quoque negaue-
 rim, illas ita componi posse, vt in tanto imperio vbique pra-
 xini, quam vocant, consultatoriam habeant, adeoque negaue-
 rim recte fieri Leges politicas Germaniae vniuersales. Quin
 etiam

etiam ex quo plures Legislatores saluti prouinciarum confilere coeperunt, tamen fieri non potuit, vt illi, qui amplas tenerent regiones, praesertim minora politiae negotia legibus suis dirigerent. Ea enim mihi esse videtur Legum politicarum specialium natura, vt vna eademque Lex vix duobus vel tribus pagis infimul recte adplicari queat.

§. XXI.

Inde vero adparet, quare in Germania, iudicibus, inferior quaedam legislatoriae potestatis species demandata sit, illa sc. quae spectat res politiae minores. Hae semper specialissimam causae cognitionem requirunt, atque cognita causa, sine omni mora, quid e re visum fuerit, statui debet. Hinc certum quidem, quavis in republica illam infimam potestatis legislatoriae speciem demandandam esse, sed vtrum reipublicae consilio respondeat illam in specie illis demandare, qui iustitiae ad normam Legum administrandae praepositi sunt; alia est quaestio. Mihi plerumque contraria placet sententia. Quaecunque vero placeat, ea semel est officii iudicis ratio, vt in Germania tum adplicandis Legibus ciuilibus et politicis, tum ferendis etiam quibusdam posterioris generis incumbat, atque hic se subinde exserit conflictus causarum politiae et earum, quae iustitiae dicuntur, de quo nobis superiori §. sermo fuit. Quae cum ita sint, facile patet, necessariam esse Iurispruto politicam scientiam, et quidem 1) eam ob causam, quia officii ratio exigit, vt leges politicas ferat, 2) autem quia illas, quae maioris sunt momenti et immediate a summa potestate feruntur, interpretari atque illas adplicare tenetur, quod vltimum tamen adhuc magis illustrandum erit. Nempe Icto ex duplici causa Leges politicae explicandae adplicandaeque veniunt. Vel enim in numero Legum ciuilium, eiusmodi etiam reperiuntur, quae re-

D

uera

uera politicis adnumerari debent, vel etiam ex quo à Maximiliani I. temporibus huc vsque, Imperium Romano Germanicum Legibus variis politicis exornatum fuit; *Leipz. Samml. XI. B. p. 998.* atque etiam Principes, praesertim iuniori aeuo, vbi reuiuiscere coeperunt disciplinae Camerales, Oeconomiam publicam et priuatorum communibus reipublicae praeceptis dirigere ceperunt; sane ingens Legum politicarum numerus Ictorum ingenia in magnum reipublicae commodum exercuit. Quoad complexum Legum ciuilium, qui veluti interpolatus cernitur politicis praeceptis, nobis exemplo esse potest Corpus Iuris Romani, quae legum farrago adeo magnum legum politicarum numerum continet, vt Ill. quidam Auctor non dubitauerit, peculiare politices Iustinianeae compendium exarandum esse. vid. *Leipziger Sammlung. 4. Band p. 613. seqq.* Insimul Catalogum Legum politicarum ibi inuenies, quae in eodem Corpore reperiuntur, vbi tamen multae adhuc omiffae videntur. Eiusmodi opus Ictorum aequae ac rerum Cameralium prudentem requireret, nam multae Leges politicae saepius erronee pro mere ciuilibus habentur, et hinc minus recte explicantur.

§. XXII.

Ea est Legum politicarum natura, vt nitantur ratione oeconomica, atque etiam ad obtinendum finem quandam mere oeconomicum latae sint. Quamobrem ille, qui eas interpretari cupit, non solum puris putis Politices principijs instructus esse debet, sed et disciplinas politices fundamentales calleat necesse est, quarum in numerum potissimum referri debent Oeconomica, atque scientia cameralis in specie ita dicta. Hisce disciplinis quam maxime continentur rationes legum politicarum et fines, quam ipsam ob causam eas intelligat

reiligat necesse est, qui eruere rationem atque finem in animo habet. Exinde etiam nouum accipere poteris argumentum, quod cum Iudici id quoque datum sit, vt in criminalibus arbitrium suum interponat, i. e. arbitraria quadam poena in delicta animaduertat: ille hanc ob causam connexa quadam scientiarum Cameralium notitia gaudere debeat. Nam si definitionis politices, quam §. 8. dedimus, rationem habeas, videbis ad forum politices pertinere delicta illa omnia, quae publicam vel priuatorum Oeconomiam turbare ipsique damnum inferre possunt. Licet enim plerumque separatam videas rei criminalis curam ab illorum officio, qui plerumque Politiam administrare dicuntur, id tamen principio eam ob causam factum est, quia res criminalis tanti est ambitus, vt sola viris intelligentibus, immo integris Collegiis, demandari debuerit. Successu tamen temporis vulgari inualuit consuetudine, vt tantum, quae minoris erant momenti delictorum coercitio, ad Politicam spectare existimarent, atque hinc est, quod in locis, vbi distinctio inter iurisdictionem altam et bassam valet, ad hanc referatur cura politiae. Quin vero ex nostra sententia cura rei criminalis recte ad Politicam referatur, exinde quoque patet, quod sibi publico vocabulum *Polizey* eo sensu accipiatur, vt contineat coercionem delictorum grauissimorum, adeoque curam rei criminalis. vid. *Reichspolizeyordnung*, atque etiam Corpus Iur. Saxon. *Landesconstitut. von Peinl. Fällen*. Quisque autem hocce arbitrium interponat, sufficit, vt qui illud recte bene interponere velit, Oeconomica, Politica, atque camerali prudentia instructus esse debeat. Quid enim poenam arbitrariam statuere aliud est, nisi in casu, vbi Leges silent, in delictum aliquod ex animi sententia aequo iudicio animaduertere? Quae cum ita sint, proportio adesse debet inter poenam atque damnum, quod reipubl. eiusmodi delicto illatum est, quae nunquam erui

poterit, nisi habita ratione ad Oeconomiam publicam atque priuatorum.

§. XXIII.

Sed viris politicis quoque opus est Iurisscientia, eum praesertim in finem, ne in iura alterius perfecta impingant. Certe iuris quo in ciuitate vtiur publici, periti esse debent. Omnem enim suam potestatem sortiti sunt ab illo, ad quem rerum summa rediit. Igitur et ille, qui in politicis rebus aliquam accepit potestatem, scire debet, quid superiori suo in subditos liceat, quid non liceat, atque etiam, qua ratione subditi erga superiorem suum teneantur. Nec minus peritia iuris priuati instructus esse debet. Nam legibus atque etiam Institutis publicis, subinde iura cuidam ciuium adimenda sunt, quod quidem recte fit, id si vtilitas suadeat atque necessitas publica. Sed quo cautius atque circumspicius in hac re versari debemus, eo magis necessaria redditur Iurisprudentiae atque Politices coniunctio. Subinde cerebrina vtilitas, atque falsa ratio status in caussa sunt, vt ciues laedantur, et iura optima maxima ipsis eripiantur, subinde etiam optima consilia spernuntur, atque saluberrima instituta retrograda euadunt, vbi vel nulla adsunt iura, quae laedi possent, vel saltem maior ex laesione, quam ex conseruatione eiusmodi iurium vtilitas expectanda fuisset publica atque priuata. Exemplum a re metallica petere licebit. Ibi subinde accidit, vt ex tribus vel quatuor, quae vocantur *Zechen*, haud ita multum inter se distantibus vnica licet ingenti labore metalli penuria, tamen aquae copia atque etiam opportunitate gaudeat. Iam si reliquis *Zechen*, quae nobiles sunt metallo, sed omni aquae fluminae commodo destitutae iacent, aqua illa adiudicaretur, quae priori loco fere frustra infumitur, illae maxima cum vtilitate coli, atque insigne lucrum praebere possent. Ni-

hilomi-

hilominus plurima vice haesitatur, et iuri, quod de metallifodina ista pauperrima inuestiti, etiam in aquas istas nacti sunt, vtilitas publica postponitur.

CAP. VI.

DE

CONIUNCTIONE IVRISPRVDENTIAE
ET SCIENTIAE CAMERALIS.

§. XXIV.

Saepeius ingens Legum numerus de aerario atque fisco disponit, et eiusmodi Leges variis locis inuenire licet, atque etiam multifario veniunt nomine. Hodienum quaeuis sanctiones, quae aerarii atque fisci rationem exponunt, ad Ius publicum referuntur. Variarum earum sunt origines, alias, e Iure Romano accepimus, quae Legum farrago etiam publicis Legibus interpolata est, alias e iure Francico depromere non dubitauimus, aliae etiam eius generis Leges originem suam ipsi Germaniae debent. Sit quidquid sit, ICtis, cum in publico ciuitatis iure versantur, eiusmodi quoque Leges explicandae veniunt, quae aerarium atque fiscum concernunt. Earum autem ratio et finis cum non nisi ex ipsis Scientiae Cameralis Principiis constituentur, vti Cap. III. probauimus, non poterit fieri non, quin etiam ope huius solummodo scientiae illa ratio, ille finis, eruatur, adeoque totius Legis sensus intelligatur. Ex Polonia exemplum petere licebit, cuius regni ius publicum fert, vt potissimum e salifodinis atque salis commerciis redditus publici accipiantur. In bene intelligendis hisce institutis, opus erit tum Oeconomica tum Politica prudentia. Nam cum id prudenter fieri doceat Scientia Cameralis, vt Principi in quauis republica res

D 3

nullius

nullius tribuantur; ante omnia in situm atque opportunitatem loci oeconomica ratione inquirendum erit, quo adpareat quaenam e. g. in ciuitate reperiantur res nullius, eius quidem generis, vt exinde reditus publici constitui atque accipi possint, et quae sunt reliquae quaestiones, quarum hac occasione ratio habenda est.

§. XXV.

Quo magis etiam necessaria est in explicando iure publico Cameralis prudentia; eo magis, cum in Legibus ciuilibus versamur, notitia rei cameralis requiritur, tum quatenus ex ipso iure ciuitatis publico, tum etiam aliunde cognoscitur. Iura enim ciuilia quam maxime a publicis et in specie etiam variis aliis institutis cameralibus dependent, id quod iuris Romani exemplo illustrari poterit. Quae fuerit quocunque aeuo ratio rei cameralis apud Romanos, ICto scitu adeo est necessarium, vt absque hac scientia multarum Legum eruendae rationes atque fines frustra eum exerceant. Hoc factum est in explicatione rerum mancipi et nec mancipi, quarum rationem et iura nunquam intellexissent ICTi, nisi ope prudentiae cameralis vniuersalis atque harmonicae in rei cameralis apud Romanos rationes diligentius inquisiissent. Eadem est Prudentiae Cameralis in iure feudali necessitas. Certe Origines feudorum, atque etiam eorum et vasallorum conditiones nemo recte perspiciet, nisi quae fuerit apud maiores administrandorum aerari atque fisci ratio, bene intellexerit. Nam feuda tum temporis constituiebantur in parata Principum pecunia, atque hac ratione fiebant expensae reipublicae et ipsius Principis, qua in re administrationem aerarii et fisci quae rere, nemo dubitabit. Inde enim est, quod officia vasallorum alia ita sunt comparata, vt immediate reipublicae commodis respondeant, alia vero eius sunt generis, vt in illis Principis digni-

dignitas atque splendor cernatur. Ad classem priorem pertinebant feuda militaria, ad posteriorem aulica.

§. XXVI.

Licet autem multis praeterea argumentis demonstrare possem, quam necessaria atque utilis sit ICto Cameralis prudentia; hoc tamen vnice adhuc addam, quod iterum in praxi officia ita comparata reperiantur, vt nemo ICtum agere queat, nisi insimul camerali prudentia instructus sit, atque vice versa, id quod variis instructionibus quae apud SECKENDORFIVM *teutschen Fürstentaat* extant, illustrari potest. Alias vero etiam in rerum cameralium perito, Iurisprudentiam requirimus, et quidem maxime publicam, quo ipso tamen priuata nullo modo excipitur. Sed temporis penuria, atque etiam instituti ratio, opusculo iubent imponere finem. Si forsân opportuna data fuerit occasio, argumento nostro vberiolem, atque etiam magis practicam tractationem promittimus.

T A N T V M.



... ..

4. XXII

Litterae autem

T A N T V M



Leipzig, Diss., 1768 P-Z

X 241 7957



P.g. 2. num. 42.
1768 47


12

AVGVRALIS IVRIDICA
DE
NCTIONE
V DENTIAE,
ECONOMICES,
ET SCIENTIAE
IN SPECIE.

QVAM
MIA LIPSIENSI
ORDINIS AVCTORITATE,
BTINENDIS
VE IVRE HONORIBVS

A. R. S. MDCCLXVIII.
TVEBITVR
CTOR
ADVS STOCKHAVSEN
S. DOCT.
ASSVS.

SIAE
LANGENHEMIA.



Farbkarte #13

B.I.G.

UN
V